Zu der

Freitag, den 13ten April 1832,

abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung

der

Zöglinge des Gymnasiums

zu Königsberg in der Neumark,

ladet ergebenst ein

August Arnold,
Professor und Direktor des Gymnasiums.

Hierzu die Abhandlung des Predigers und Prorektors Guiard:
De Ciceronis philosophi in cives suos meritis.

Landsberg an der Warthe,
gedruckt bei Wilhelm Schulz.

1 8 3 2.

DE CICERONIS PHILOSOPHI
IN CIVES SUOS MERITIS.

SCRIPSIT

J. GUIARD,

SACRORUM ANTISTES ET GYMNASII PROBECTOR.

Nescio, qui fiat, ut, quoties mihi, variis occupationibus distento aut aliis scriptoribus legendis dedito, Ciceroni per aliquod tempus vacare non licuerit, mirum me ejus capiat desiderium. Tantopere enim tum rerum, quas tractat, magnitudine, tum orationis suavitate atque elegantia oblector, ut usu ejus et consuetudine diu carere nolim. Neque dubito, quin plurimi eorum, qui studium suum in veterum scriptorum libris legendis collocandum putent, idem sibi jam accidisse fateantur. Nam quis, orationes ejus legens, non admiratur et summi oratoris artificium et maximi viri sapientiam, justitiam moderationemque, quibus aut magno periculo suo pericula a civium suorum capitibus propulsavit, aut fortiter se concionum fluctibus objecit, aut salutarem in curia patriae adhibuit medicinam? Quid dicam de epistolis? quas profecto nemo sine magna voluptate legit. In his enim non modo humanitatis, probitatis, prudentiae, omnis denique virtutis vestigia expressa videmus; sed ne vitia quidem, si quae fuerunt in tanto viro, et laudis et gloriae amorem fortasse nimium, dissimulare studet, ut clariorem sui imaginem existimem reliquisse neminem. Sed temporum quoque illorum maxime memorabilium imaginem tam variis tamque vividis coloribus distinctam proponit, ut, eam intuentes, rebus, quae tum gerebantur, ipsi interesse videamur. Ne rhetorici quidem libri, etsi hodie vix ab ullo oratore, ut ex iis artis suae praecepta hauriat, leguntur, sua laude carent, multorumque ad legendum alliciunt animos. Libri vero, qui sunt de philosophia, non ab omnibus pari laude digni judicantur. Plerique enim eos non propter rerum gravitatem

vel magnam disserendi artem legunt, sed sola orationis elegantia ducti; Ciceronemque ipsum ne in numero quidem philosophorum habendum esse censent. Quam ob rem, quoniam, diligenter his libris lectis, mihi persuasi, Ciceronem, quum ad philosophiam illustrandam aggrederetur, non inutile opus suscepisse beneque de patria meruisse: scribendi necessitate mihi imposita, in animum induxi breviter exponere, quid de Ciceronis philosophi in cives suos meritis intellexisse viderer. Sed viros doctos, ne haec sibi scripta esse putent, etiam atque etiam rogatos volo. Nam viros doctos docere si vellem, ipse me accusarem arrogantiae, quum mihi, cujus tota vita in juventute literis et liberalibus artibus erudienda et verae religionis praeceptis Christianorum coetui tradendis occupata est, id unum studendum sit, ut mihi ipsi in his provinciis administrandis in dies magis satisfaciam. Itaque, si adolescentes, qui haec legerint, Ciceronem adamaverint, et ad hos libros, de quibus disputaturi sumus, diligentius legendos incitati erunt; quod optamus, abunde nobis assequuti videbimur. Si praeterea vir aliquis doctior et eruditior, qui his legendis horam aliquam subsecivam dederit, non plane se tempus suum perdidisse, neque plus se taedii quam voluptatis ex hoc libello cepisse censuerit; feliciora nobis, quam ipsi sperare ausi simus, contigisse fatebimur.

Primum igitur, etsi nobis aliorum refellere opiniones non est propositum, respondendum est iis, qui Ciceronem dicunt de philosophia bene mereri non potuisse, quippe qui ipse nihil invenerit, totusque e veteribus Graecis philosophis pendeat, ut a philosophorum choro plane sit sejungendus. Hos, ne obliviscantur, quid polliciti simus, admonendos putamus. Non, quid Cicero de philosophia, sed quid, quum de philosophia scriberet, de civibus suis sit meritus, exponere volumus. Aliud enim est, de philosophia vel aliquo literarum genere, bene mereri; aliud, civibus libris scribendis prodesse. Neque vero Tullius ipse, quem gloriae nimis cupidum fuisse dicunt, unquam se appellavit philosophum vel magnis illis viris, Platoni, Aristoteli, ne Zenoni quidem, ausus est se dicere aequalem. Sed illud negamus, inutilem eum consumsisse operam in philosophia latinis literis illustranda. Duo enim sunt genera eorum, qui libris scribendis patriae aut civibus suis utilitatem afferre cupiunt: unum eorum, qui rebus inveniendis operam dant, aut novam viam ingressi, novam philosophandi rationem reperiunt; alterum eorum, qui, quamvis ipsi nihil invenerint, ab aliis inventa planius aut melius exponunt, ut a pluribus legi atque intelligi possint. Cur totum illorum genus his anteponatur, nullam idoneam causam video. Neque enim nova vera sunt omnia, neque vera semper nova esse possunt, quum vetustiores quoque homines in omni artium genere multa viderint. Hanc ob causam multa, magna aliquando ostentatione pro no-

vis vendita, mox aut falsa aut jam diu cognita sunt inventa, quum speciem tantum novitatis prae se ferrent, et vetusta atque obsoleta novis verbis exornata essent. Multorum igitur nova opinionum commenta jam delevit dies. Quid ergo? num novas res commentantes scriptores coercendi sunt, ne latius se diffundant? Ego quidem horum multitudinem ita utilem judico, ut, velut aerem et maria, ne putrescant, ventis et tempestatibus exagitari necesse sit, hominum ingenia, ne turpi inertiae se dedant, perpetuo exerceantur et ad continua studia excitentur. At illos magnos viros, qui, eximio ingenio praediti et divino quodam numine quasi afflati, obscura illustrant, vetusta perquirunt, nova inveniunt, ceterisque ad verum inveniendum viam monstrant, ceteris omnibus longe anteponendos esse censeo. Sed prope aequali laude digni videntur, qui aut scribendo aut docendo, ut ea, quae a summis illis viris inventa sint, ad hominum perveniant cognitionem quam plurimorum, sedulo efficere conantur. Nam neminem fore puto, qui viros doctos sibi solis doctos esse, vel philosophos sibi aut solis sapientiae peritis philosophari velit. Etenim magni et ingeniosi viri soli sunt similes, cujus radii, in omnes se partes diffundentes, totum mundum collustrant; ii vero, qui orientem ab illis lucem excipiunt latiusque propagant, praeclare generi humano consulere videntur. Neque enim quisquam, quia ut aer, ignis, aqua, ita literarum et sapientiae lux communis est omnium, si ejus participem fieri sua interesse putat, ab ejus usu arcendus est.

Itaque, si quis Ciceronem, quia non Plato fuerit aut Aristoteles, indignum existimet, qui philosophus appelletur, facile eum in sententia sua manere patiar. Sed id unum ex illo quaero, si neminem, nisi qui novam philosophandi rationem invenerit, aut prius incognitam ad veritatem viam patefecerit, philosophi nomine dignum esse arbitretur, quotusquisque futurus sit ex infinita philosophantium multitudine, quem recte ita appellare liceat. Sin autem eos, qui semper philosophi et appellati et habiti sunt, hoc nomine appellandos esse concesserit, qui praeclarissimorum philosophorum rationibus diligenter cognitis, quid in quaque re verum, quid consequens, quid repugnans sit, decernere possunt, et earum rerum, quas ab aliis didicerunt, tantam sibi taque accuratam paraverunt scientiam, ut non usitatis scholae verbis, sed suo arbitrio ratione et via ea exponant: ne Ciceronem quidem hac laude privatum volet.

Tota igitur quaestio est, num Cicero, quod sibi, quum ad philosophiam animum adpelleret, proposuerit, re vera sit consecutus. Qua de re ut recte judicari possit, paucis explicemus necesse est consilium ejus, quod ipse multis locis, imprimis in secundo de divinatione libro (cap. 2.), aperuit. Nam, ut ipsius verbis utar, „ad reliqua," inquit, „alacri tendebamus animo, sic parati, ut, nisi quae causa gravior obstitisset, nullum phi-

losophiae locum esse pateremur, qui non Latinis literis illustratus pateret. Quod enim munus reipublicae afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem?" Summa ergo est inquitas, si quis vitio ei vertat, quod non praestiterit, quod se praestiturum esse nunquam promiserit, aut incognitam prius philosophandi rationem non invenerit, qui vetera tantum se traditurum professus sit. Nam eorum, qui adolescentes erudiunt, non tam est, reconditis rebus reperiendis operam dare, quam ea, quae jam certa sunt atque explorata, ita docere, ut libenter audiantur, et facile percipiantur, adolescentiumque ingenia excolantur moresque emendentur. Itaque Ciceronis consilium imprimis laudabile fuisse arbitror, omnesque, qui veri sensu judicare velint, facile esse consensuros spero; nisi forte tanto viro, qui tot annos ad reipublicae gubernacula sedisset, adolescentibus scribere indignum fuisse existimant. Quasi vero Cicero similis sit istis hujus aetatis scriptoribus, qui, tamquam ipsi sint infantes, ut intelligantur, cum puerulis balbutientibus balbutiendum sibi putent. Quamquam ne iis quidem scriptoribus, qui teneros puerorum animos honesti sensu imbuunt, et primos ingenii igniculos excitant, quisquam debitam laudem detraxerit. Atqui Cicero non pueris, sed adolescentibus, qui, jactis literarum bonarumque artium fundamentis, ad majorum rerum cognitionem adspirabant, quibus ad rempublicam gerendam idonei fierent, operam suam et studium destinavit. His prodesse, his ad omnes laudandas artes aditum patefacere voluit, ut ipsi bene beateque viverent, et reipublicae consulerent quam plurimum. Quid vel tanto homine dignius vel patriae salutarius esse potuit? Semper enim maximi et patriae amantissimi viri, ut sperare possent, fore, ut melius esset posteritati, omnem sibi spem in juventute positam judicarunt, omnemque suam curam et cogitationem ad adolescentes emendandos contulerunt. Quanti igitur faciendus est Tullius, qui, posteaquam in republica administranda consenuit, ut Statii ille senex, qui

Serit arbores, quae alteri seculo prosint,

omnem sibi curam diligentiamque adhibendam putavit, ne post se deessent qui et cum virtute ac prudentia civitatem administrarent, et patriae saluti summo studio prospicerent. Sed, quamquam imprimis adolescentibus prodesse cupiebat, quum in his omnis patriae spes posita esset; non tamen his solis, sed etiam aetate jam provectis opera sua consultum voluit. Certe libri ejus, qui sunt de philosophia, digni sunt, qui a cujusvis aetatis hominibus harum verum studiosis diligentissime legantur.

Sed, consilio Ciceronis exposito satisque laudato, jam videamus, num, quod sibi proposuit, perfecerit et ad finem perduxerit. Loco, quem laudavimus, omnia se philosophiae capita, nullo omisso, Latinis literis illustraturum pollicetur. Quod promissum eum re vera fecisse, quum libros,

quibus philosophiam explicavit, enumeraverimus, facile intelligetur. Nam quum inde a Platone omnes fere philosophi totam suam artem in tres partes dividere solerent, quarum una est de natura, altera de disserendo, tertia de vita et moribus — quae physica, dialectica, ethica appellari solent — nullam harum partium aut consulto omisit, aut temere praeteriit. Physica enim sex libris, qui unum quasi corpus efficiunt, et quorum tres sunt de natura Deorum, duo de divinatione, unum de fato, plane absolvit. Quae ad vitam bene honesteque agendam et ad mores emendandos pertinent, magnis duobus operibus illustravit, quae inscripta sunt de finibus et de officiis, ad quae adjecit non modo quinque Tusculanas disputationes, sed alios etiam quosdam libros, qui exiguae quidem molis in gravissimis rebus versantur, de senectute, de amicitia, paradoxa, duos praeterea de gloria libros, quos ante hos quadringentos annos interiisse dicunt, consolationemque illam, temporum nobis injuria praereptam, cujus toties mentionem facit, ut eam facile ipsi in deliciis fuisse augureris.

In horum autem numero referendi sunt ii quoque libri, qui sunt vel potius fuerunt de republica et de legibus, nam utrorumque non habemus nisi reliquias. Sed non deerunt, qui hos a philosophia plane semotos velint; quos ego quidem non multum a vero aberrasse dixerim. Namque Cicero, etsi de optima rerum publicarum forma et constitutione sapienter disputat, et leges, si leges vere sint appellandae, divinas esse oportere contendit, tamen non tam in constituenda optima civitate versatur, aut, ut Plato, speciem nobis reipublicae sola mente et ratione informatam describit, quam operam dat, ut, neque ullam civitatem Romana aut melius institutam aut praeclarius administratam, neque ullum populum et melioribus et sapientioribus usum esse legibus, demonstret. Sed, etiamsi Cicero philosophi officio in his libris non omnino satisfecit, optimi tamen civis et viri patriae amantissimi munere egregie functus est. Libros enim de republica scripsit, quo tempore, ut ipse ait *) reipublicae gubernacula tenebat, et post Sullanas proscriptiones et Catilinae furores, omnia majorum sapienter instituta in pejus mutari videbat, patriaeque ruinam et reipublicae factionibus dilaceratae interitum magno cum dolore animo praesagiebat. Quos quantosque dolores ex hoc miserrimo rerum statu susceperit Cicero, qui, quod patriam servaverat, patris patriae cognomen invenerat, difficile non est ad intelligendum. Itaque, si semper optimatibus studuerat; si hominibus factiosis, qui infimum quemque atque improbissimum adulabantur, nunquam non obviam ierat; si quacunque ratione optimam rempublicam a majoribus acceptam posteris relinquere conatus erat: quid

*) de Divin. II., I.

mirum, si libros quoque ederet, quibus melioribus et prudentioribus, quam bonam quamque bene institutam civitatem amissuri essent, nisi imminenti periculo boni cives se objicerent omnes, ante oculos proponeret? Quamquam igitur non ratione et via eum de republica et de legibus disseruisse concedimus; hac tamen re ipsa optime eum de civibus meruisse dicimus: nam, quod philosophum maxime decet, philosophiae adhibito auxilio, prospexit patriae.

Eam vero philosophiae partem, quam e tribus mediam posuimus, omnino praetermisisse videtur. Sed videtur tantum. Nam, quum dialectica sit ars bene disserendi et vera ac falsa dijudicandi, summi Graecorum philosophi cum philosophia dicendi praecepta conjunxerant. Quorum exemplum imitatus Cicero libris suis oratoriis alteram dialecticae partem, quae est de disserendo, satis copiose illustravit. Quare, quum ipse tres libros de oratore, Brutum, oratorem (reliquos enim, topica, de inventione, omittit, quae juvenilia opera oblivioni eum tradere voluisse putamus) in prooemio primi de divinatione libri in philosophica referat, nos eos a philosophia et dialectica sejungere neque volumus neque debemus. Alteram vero partem, quae est de veris ac falsis dijudicandis, omisit, idque, opinor, re bene deliberata: nam in dialecticis, quae per se dumetis quasi circumsepta, et a Stoicis occupata, brevibus interrogatiunculis incisa erant, neque quidquam oratoriae artis vel ullum ornatum patiebantur, sed tenuissimam et maxime jejunam orationem desiderabant, orator libenter elaborare non potuit.

His igitur, quos diximus, libris totam philosophiam, nullo ejus loco, qui quidem alicujus momenti est, omisso, Latinis literis illustravit, artisque omnium praestantissimae, ut Graeco vocabulo utar, encyclopaediam eamque copiosissimam atque uberrimam civibus suis donavit. Sed, ne quid praetermissum esset, duos quasi janitores sive ostiarios in philosophiae limine collocavit, qui cives, ut introirent, humaniter invitarent: Hortensium, ut ad universae philosophiae studium adhortaretur, Academica, ut in Academiae hortos, in quibus, ut ipse ait, genus philosophandi minime arrogans, maximeque constans et elegans traderetur, discendi cupidos vocaret.

Sed Cicero, quamquam omnes philosophiae partes explanavit, tamen non omnibus, id quod maximae ei laudi dandum est, idem tribuit. Plurimum enim operae eum posuisse in ethicis, jam ex magno eorum librorum, qui sunt de vita et moribus, numero facile apparet. Physicis — de dialecticis enim modo diximus — sex quidem libros concessit; sed in una tantum quaestione, quae quidem maximi momenti est, oratio ejus versatur. Nam, postquam tribus libris de natura deorum disputavit, duobus exponit, num Dii hominibus res futuras significent, extremoque Stoicorum de fato decreta explicat. Nulli vero exstant libri, aut exstitisse accepimus — Pro-

gnostica enim Aratea, quæ Cicero adolescens e Græcis converterat, neminem in his referre puto — nullos igitur libros scripsit de hujus mundi origine et fabrica, de quatuor illis naturis, ex quibus omnia orta dicunt, de animorum natura atque immortalitate: etsi ne has quidem res plane omissas esse licet dicere, quum, occasione data, satis copiose de iis disseruerit, ut de quatuor illis naturis et de Democriti et Epicuri corpusculis individuis in primis de finibus et de natura Deorum libris; de immortalitate animorum in libris de senectute et de amicitia, in prima Tusculana disputatione, in somnio Scipionis.

Vix est, cur multis demonstremus, quam acutum fuerit in hoc delectu Ciceronis judicium. Nam, etsi omnes homines, simul ac mentis et rationis compotes esse cœperunt, scire cupiunt, unde orta sint hæc omnia, quorum adspectu gaudeant, quibus vescantur et vestiantur, unde ipsi orti sint, quæ sit universi hujus mundi natura et conditio, sitique premuntur diuturna, quæ eos quiescere non sinit, donec optimarum rerum cognitione eam restinxerint: nihil tamen generi humano, summo numine, quod amare et colere debemus, satis cognito, non modo præstantius, sed ne magis quidem necessarium cogitari potest, quam scientia officiorum, quibus recte præstitis boni et civis et hominis munere optime functi erimus. Nihil igi tur magis nobis necessarium est, quam nosse finem illum bonorum, ad quem omnes actiones nostras et cogitationes referre debemus, summumque illud atque extremum malorum, quod, tamquam pestem aliquam, vehementius, quam omnes cruciatus mortemque ipsam, fugere nos oportet. Quid vero utilius aut jucundius esse potest, quam ea discere, quibus instructus bene beateque vivere et in omnibus vitae partibus bonum te et fortem præstare possis? Quam ob rem Ciceronem censeo non satis posse laudari, quod potissimum ea philosophiæ parte, quæ est de honeste beateque vivendo, copiosius exponenda de civibus suis bene voluerit mereri. Sed hoc ideo quoque fecit, quod cives suos non tam doctiores et eruditiores, quam, quod est multo præstantius, meliores reddere et ad rempublicam gerendam quasi instrumento ornare in animum induxerat. Præterea id iis donare voluit, quo eos maxime gavisuros esse prævidebat. Nam quum Romanos, qui ad agendum, quam ad discendum, essent procliviores, dialecticas captiones et physicorum decreta, quamvis subtilissima, contemnere sciret: nisi ethicis plurimum operæ tribuere voluisset, opus plane inutile suscepisset.

Sed fortasse quispiam dixerit, Ciceronis philosophi in cives suos merita, quum omnia a Græcis mutuatus sit et merum interpretem egerit, non posse ita magna esse. Sed quod eum dicunt nihil non ex Graecis fontibus hausisse, id ne ipse quidem unquam negavit; neque, cur in hac re vituperetur, ulla est justa causa. Nam quum id studeret unum, ut Roma-

nis sine Graecorum auxilio ad philosophiam aditus pateret; partes suas, si re vera id effecit, bene peregisse putandus est. Sed de hac re nobis jam satis dixisse videmur. Si vero eum interpretis tantum munere functum esse dicunt; nescio, unde fiat, ut plerique Latinorum scriptorum sic invideant laudi, ut excellentissimos quosque pro pravis Graecorum imitatoribus habeant, eosque, nisi ab illis ducantur, statuant ne gradum quidem facere potuisse. Itaque, ut Virgilium e variis Graecis poetis, imprimis Homero, singulos versus conquirentem et conglutinantem, centonem quasi consuisse opinantur, ita Ciceronem dicunt varios philosophorum locos collegisse, et ad verbum conversos in novum ordinem redegisse. Sed hi aliter sentient, si ipsum audire volent: nam ex initio primi libri de finibus (c. 3. §. 6. 7.), ubi totam rationem, quam in philosophia Graecorum Latinis literis illustranda secutus est, perspicue exposuit, facile intelligent, licet disputandi materiam a Graecis sumeret, tamen eum suum judicium adhibuisse et suum secutum esse morem. Ceterum, si nonnullos locos, quos commodius explicari posse desperabat, in libros suos transtulit, minime vituperandus est; nam optima quaeque et elegantissima, nisi omnem vim ac pulchritudinem perire velis, non possunt mutari. An Cicero, qui ab adolescentia excellentissimos philosophos audierat, omnium fere libros studiose legerat, quotiescunque publicorum negotiorum intermissio erat, cum sapientissimis utriusque gentis viris sermones contulerat, non potuit tantum habere philosophiae usum, ut praecipuos ejus locos, quamvis Graeca in manibus non essent, satis commode explicaret? Praeterea tota horum librorum compositio est artificiosior, quam ut eos e variis locis magno labore collectis conglutinatos esse opinemur. Postremo Ciceronem, quum loquentes non faciat, nisi Romanos, ad res illustrandas plura Romana quam Graeca exempla afferat, totiusque orationis color sit vere Romanus, philosophiam Romanis ingeniis accommodasse planeque Romanam fecisse, non dubitamus confirmare, ut ab iis, qui Graece docti non essent, non difficilius disceretur, quam a Graece doctissimis.

Sed jam videamus, num Cicero ea ratione et via disputaverit, ut civibus suis prodesse posset quam plurimum. In iis libris, quibus res maximi momenti tractat, quique sunt majoris molis, in contrarias partes disputat: nam principum philosophorum rationes explicat, et quae contra dici possunt, adjicit. Hanc rationem secutus est in libris, qui sunt de finibus bonorum, de natura deorum, de divinatione, de republica, nam de oratore libros huc referre noluerim. Sed consulto et dedita opera non explanat ita et refellit, nisi Stoicorum et Epicureorum rationes, ceterorum sententiae, quum occasio ultro se offert, aut laudantur, aut vituperantur, ut nullius fere sapientis viri, qui quidem alicujus numeri sit, decreta omnino praetermittantur. Suum tamen ipsius judicium semper ferme reticet, quod

eo facilius fieri potuit, quum plerumque alienas personas loquentes induxerit. Sed, ne quis miretur, quod in libris de officiis eandem viam non sit ingressus, quae de singulis officiis praecipiuntur, ea certa et rata et quasi leges cunctis suffragiis sancitas esse oportet: actum enim esset de honestate ac virtute, si vivendi praecepta penderent ex arbitrio philosophorum. Neque vero viri sapientes, quum quaeritur, quid sit honestum, quid turpe, inter se dissentiunt; sed omne eorum certamen est de rationibus, quibus ductos honesta expetere, turpia fugere nos oportet. Sed si in his quoque iis interdum diversa placebant, minime ea praetermisit; sed quid in utramque partem dici posset, paucis exposuit.

Non minus sapienter fecit Cicero, ut Stoicorum potissimum et Epicureorum rationes sibi refutandas sumeret. Nam, qui illo tempore Romae sapientiae amantes erant, ad unum prope omnes harum disciplinarum alteram amplexari solebant, quoniam alteri sibi in Epicuri hortis beati videbantur, alteri in Zenonis porticu antiqua se Romanorum virtute imbutum iri sperabant. Quam ob causam, quum praeterea utriusque philosophi familia ceterorum disciplinas ita prae suis contemneret, ut in iis cognoscendis ne temporis quidem aliquid collocaret: adigere eos, ut hanc nimiam de se opinionem deponerent, operae pretium erat, ne sua sola in oculis gestarent; ad uberioremque philosophiae cognitionem incitarentur.

Quodsi jam hoc Ciceronis meritum magnum fuisse videmus, multo plus eum profuisse adolescentibus, qui primum ad philosophiam gradum facerent, nullo negotio intelligimus. Nam non modo impedivit, quo minus, in quam disciplinam principio incidissent, eam unice veram esse existimarent ceterasque, ne cognitas quidem, damnarent; sed etiam effecit, ut optio iis daretur optimae eligendae. Etenim, qui ad sapientiae studium accessuri sunt, ii in alicujus magistri se tradant disciplinam oportebit, cujus quum rationem penitus perspexerint, ad ceterorum philosophorum decreta et placita cognoscenda transeant, ne temere in magistri verba jurent, integramque sibi judicandi potestatem conservent. Quod si quis nolet, antequam totus se alicui disciplinae addicat, omnes omnium rationes eum necesse erit breviter percurrere, quo melius, quam sequatur possit, statuere. Quumque eorum, qui ad philosophiam incumbunt, duo sunt genera: unum eorum, qui ei per aliquod tempus operam dant, ut ingenia ad alias artes discendas exerceant, aut ad fungendum muneribus comparent materiam; alterum eorum, qui totam aetatem in hanc omnium artium principem impendere decreverunt; quos proprio vocabulo philosophos appellare solemus: utrosque ex his viis unam ingredi oportebit; sed illis, quos priore loco diximus, posterior haec ratio magis conveniet, utpote quibus non satis temporis suppetat ad longius iter faciendum. Ex horum numero fuerunt apud Romanos sapientiae alumni.

Sed hos ex Cicerone ipso *) audimus maximam partem aut celeberrimi alicujus magistri fama captos, aut amicorum precibus motos, aut magni alicujus viri auctoritate adductos, priusquam ipsi judicare possent, disciplinam esse amplexos, pro qua tamquam pro aris et focis pugnarent, ceterorum disciplinas despicerent, libros ne legerent quidem. Quam perversa haec fuerit ratio, non difficile est ad intelligendum. Laudandus igitur Cicero, qui huic malo mederi studeret. Namque tironibus totius philosophiae quam brevissimam quasi formulam tradidit, ex qua non modo praecipuas virorum doctorum rationes cognoscerent; sed etiam, quum, quae in contrarias partes disputari possent, magna diligentia inter se opposita essent, praesidia peterent ad sectam eligendam, ne incauti atque improvidi in disciplinam minus laudabilem inciderent. Neque nobis, ut apertius appareat, quanta Ciceronis fuerint merita, oblivisci licet, Romanis eum scripsisse, qui e philosophia non peterent nisi ingenii excolendi adjumentum et amplissimam dicendi materiam. His autem ad ditissimum thesaurum viam monstravit, ex quo, quod sibi opus esset, nullo negotio expromerent. Nam orator, — temporis enim, hominum causarumque diligenter habenda est ratio — in variis, non in una disciplina, invenit, quae ad eorum, qui audiunt, animos aut permulcendos aut excitandos valent. Hoc etiam in causa fuisse videtur, cur civibus suis recentiorem Academiam commendaret; nam solis hujus alumnis omnium agros lustrare licebat, et, quae ubique invenerant, in sua quasi horrea convertere. Ipse nimirum sciebat, quantum utilitatis sibi haec licentia attulisset.

Quod vero Tullius, de maximis rebus in utramque partem disputans, quid ipse judicaret, non adjecit, vel potius suam sententiam dissimulavit, optime mihi de civibus suis meruisse videtur. Nam legentibus et discentibus non modo integrum erat, suo uti judicio; verum etiam amplissimus campus patebat, in quo omnes animi et ingenii vires exercerent, et proprio Marte in vero inveniendo elaborarent. Hoc autem a philosopho prae ceteris requiritur. Nam non is mihi verus est philosophus, qui quam plurima philosophorum praecepta et decreta memoriae inculcaverit, eorumque causas ac rationes quasi digitis enumerare queat; sed is demum, qui philosophari didicerit, i. e, qui, quid in quaque re verum sit, recte dijudicare possit, neque, praejudicatis opinionibus captus, cujusquam auctoritate moveatur, ut falsa pro veris probet. Itaque probum sapientiae magistrum non decet, decreta sua, tamquam sollemnes legum formulas, proponere, a quibus ne transversum quidem unguem discedere liceat; sed ipse iis, qui eum audiunt, ad verum indagandum dux et comes erit, viam muniet, aditum

*) acad. II. 3, 8. de nat. D. I. 24, 66.

patefaciet. Quae sibi placent, diludice explicabit, expositisque iis, qui contra dicuntur, cetera judicio discentium permittet, sperans, discipulis quoque quae ipse vera judicet, si ea bene perspexerint, probatum iri. Quam viam quum Cicero ingressus sit, optime consuluit civium suorum commodis.

Sed, ut jam ad aliam rem transeamus, ex iis, quae adhuc diximus, apparet, Romanos — quod ne Graeci quidem aeque commode potuerunt — omnes philosophiae locos omnesque omnium principum philosophorum rationes patrio sermone illustratas legere potuisse. Quod quanti fuerit, facile intelligent omnes, qui secum reputare volent, quanto libentius nostra, quam peregrina, legere soleamus. Multi igitur, opinor, Cicerone duce ad intimos, ut ita dicam, recessus sapientiae penetrarunt, qui sine eo ejus ne limina quidem tetigissent. Sed multo etiam utilior est et fructuosior librorum patrio quam peregrino sermone conscriptorum lectio. Nam intelligi quidem possunt peregrina et memoriae mandari; sed patria sola et nostra penitus animos nostros commovent. Atque haud scio, an nullus probabilis philosophiae fructus possit exsistere, nisi praecepta ejus toto animo perceperis.

Quam autem purus — sincerus enim et elegans sermo allicit hominum animos, ut legere perseverent — sed quam castus et elegans in his, de quibus loquimur, Ciceronis libris sit sermo Latinus, pluribus exponere, ab hoc loco alienum est: nam quis est, qui a perfectissimo illo Latini sermonis magistro quidquam minus Latinum aut aliquid barbari sonans profectum esse opinetur? Sed oratio quoque et dicendi genus est ejusmodi, ut eorum, qui legunt, animos capiat atque teneat: nam nihil in eo desideratur, quod vel severissimi aestimatores a bono scriptore requirere solent. Oratio enim et numerosa est, et nullis impedimentis obsepta leniter labitur: nonnumquam etiam gratam quandam negligentiam prodit. Praeterea et lectissimorum verborum compositio est expeditissima, et suo quaeque loco sunt dicta, et omnia membra in eum ordinem redacta atque ita inter se copulata, ut totam orationem singulasque ejus partes facile perspicias. Ac perspicuitatem quoque laudemus necesse est, quum omnia vel maxime recondita et obscura in ea, quam res patitur, posita sint luce: quamquam orationis perspicuitatem philosophis fere laudi tribui non solere, haud sum ignarus. Cicero igitur, ut legentium commodis provideret quam maxime, omnes res, in quibus versatur, tam planas tamque perspicuas fecit, ut a quovis Romano, qui quidem aliquo ingenii acumine praeditus esset, sententiae ejus percipi possent. Et quamquam non omnia aeque perspicue planeque dici possunt, ne Stoicorum quidem brevia et concisa dicta subtilesque eorum conclusiones atque interrogatiunculae et dialecticorum captiones, a Cicerone illustratae, sua luce carent.

At Ciceronis fortasse vituperanda est oratio, quod interdum aliquid

oratorii habet ornamenti; id enim philosophum minime decere dicunt. Sed summos philosophos, imprimis Platonem, quem prope poetice scripsisse constat, totasque philosophorum familias auctores habuit. Cur ergo in Cicerone vituperas, quod in Platone vel in Aristotele summis laudibus extollendum putas? Sed si quando Cicero altius insurgit, ut oratorem, non philosophum legere videamur; non est, cur ei irascamur. Hic vir, qui aetatem degisset in curia et in foro, consuetudinem, quam ibi contraxerat, exuere et artem oratoriam plane dediscere non potuit: nam

> Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
> Testa diu.

Sed laudandus nobis, non vituperandus est Cicero. Meminerimus ergo primum non philosophis eum, sed adolescentibus Romanis, qui e sapientiae studiis honeste vivendi praecepta et ad rempublicam gerendam praesidia atque adjumenta peterent, prodesse voluisse. De his optime se meriturum esse sperabat, si diu exercitatae artis vestigia non plane desereret. Deinde futuris oratoribus displicere non potuit, si interdum paulo magis oratorie disputaret. Nam quem ad modum orator philosophia uti debeat, exemplo suo docuit. Cujus rei plaeclarissima exemplaria sunt paradoxa, quibus demonstravit, quomodo spinosissimae res, Stoicorum paradoxa, ita tractari possent, ut a forensi multitudine non modo intelligerentur, sed etiam probarentur. Ceterum, quid ornatus oratorius, qui tantum habet jucunditatis, philosophorum libris potest nocere, nisi officiat disserendi subtilitati?

Jam, si nos ad ea, quae modo diximus, revocaverimus, non mirabimur, cur Ciceronis dialogi parum successerint, minimeque comparari possint cum Platonis sermonibus. Orator in iis quoque vel invitus interdum in oratorium dicendi genus videtur relapsus esse. Dialogi enim, laudari eos si velis, aliquid scenicae artis habeant, necesse est, ut, qui eos legant, totam sibi rem tamquam in scena spectare videantur, ut colloquentium inter se voces audire, vultus ac gestus videre se putent. Quo oratio non solum fit jucundior, sed acrior etiam et magis perspicua. Neque ullum disserendi genus ad disputandum in contrarias partes magis accommodatum existimaverim; licet ne cogitari quidem possit quidquam difficilius. Horum autem nihil apud Ciceronem invenies, omnesque ejus libri, ne iis quidem exceptis, qui inscripti sunt dialogi, dico libellos de senectute et de amicitia et Tusculanas disputationes, dialogorum tantum prae se ferunt speciem. Nam is, qui primas partes agit, continua oratione sententiam suam explicat; qui secundas aut tertias, hi illum aut, ut pergat, admonent, aut quaestiones proponunt, aut, quae ille dixit, laudant. In ceteris libris, praeter eos, qui sunt de officiis, ubi sermonis loco et tempore descripto, quo modo ii, qui inter se colloquuntur, in eam quaestionem inciderint, expo-

suit: quid ab iis disputatum sit, narrat. Sed ne ita quidem, hos sermones multum habere jucunditatis, possumus negare; nam minuitur taedium, quo legentes afficere solet continua oratio. Neque vero Ciceronis consilio — quod tacere minime debemus — Platonici dialogi conveniebant, quippe qui jucundi quidem ad legendum, sed parum sint apti ad aliquam sententiam explicandam; nam impediunt, quo minus totum argumentum uno in conspectu videamus. Quam ab causam haud dubitaverim affirmare, Ciceronem, etiamsi potuisset, Platonem imitari noluisse. Quantum autem hoc sermonum genus habeat auctoritatis et gravitatis, per se intelligitur. Quanta enim voluptate adolescentes Romanos affectos fuisse putamus, quum summos viros, quorum res domi militiaeque gestas admirarentur, de maximis rebus disputantes audirent?

Hoc loco ultro se nobis offert occasio, quam praetermitti non oportet, de Ciceronis philosophi in linguam Latinam meritis disserendi. Fuerunt sane magna. Saepe enim queritur, neminem ante se philosophiam Latinis literis explicare conatum esse, quod omnes ea, quae a Graecis didicissent, Latine se dicere posse diffiderent. Omnes fere, dicit, Latinam linguam ne idoneam quidem existimasse, quae ad res obscuras et a sensibus remotas illustrandas adhiberetur. Itaque, quum eam linguam, qua opus erat, non jam perfectam et absolutam, ne inchoatam quidem, reperiret, sermo Latinus ita informandus erat, ut ad Graeca exprimenda sufficeret omnia. Quod quam difficile sit negotium, suspicari possumus omnes. Non enim quavis lingua quodvis dici potest. Nam, quomodo fieri possit, nescio (etsi quosdam hoc suscepisse audio), ut Galli Germaniae philosophos aut alios quosdam scriptores bene et commode Gallice loquentes faciant. Multi quidem ante Ciceronem philosophiam Latinis literis explanare ausi erant, ex quibus ipse Amafinium et Rabirium*) appellat, sed quam male munere functi sint, ipse significat, nam se eos ne legisse quidem dicit. Namque omnes — Epicurei enim fuerunt —, quamquam philosophos se esse profitebantur, de rebus tamen, quae ad vitam communem pertinebant, scripserant, neque, id quod in philosophia difficillimum est, rebus definiendis et dividendis operam dederant. Oratio autem tam horrida et inculta erat, ut eam facile ab Epicureis profectam esse suspicareris, quippe quorum magistrum elegantem orationem atque literas contemsisse constet. Ab his igitur Cicero subsidia petere non potuit.

Sunt igitur, ut jam consideremus, quid Cicero de civibus suis lingua Latina locupletanda et augenda sit meritus, qui id unum ei acceptum referant, quod pro Graecis Latina artis vocabula invenerit. Est profecto

---

*) Acad. I., 2., 3. Tusc. IV., 3., 6.

aliquid; sed non maximum. Nisi vero, qui nuper de lingua Germanica immortaliter meriti sunt, palmam tulisse putamus, quod pro Latinis Grammaticorum vocabulis patria induxerunt. Quamquam igitur ne in hac quidem re — de horum enim verborum praestantia nihil dico, quorum multa Cicero ab aliis rebus transtulit, multa ita e Graecis convertit, ut verbum e verbo vel potius syllabam e syllaba exprimeret — ne in his quidem, inquam, Tullii laudem extenuare in animum induxi; sed sunt, quae multo majore laude digna esse arbitrer. Nam primum linguam Latinam sic accommodavit philosophiae, ut nihil a Graecis inventum ac disputatum esset, quod bene et eleganter Latine dici non posset. Ipse quidem saepe gloriosius quam verius, Latinum sermonem Graeco esse multo copiosiorem, dicere solebat; sed suo tandem studio et industria effecit, ut aeque copiosus videretur ac Graecus. Deinde loquendi formulas et verborum compositiones conformationesque non paucas e Graeco in Latinum sermonem transtulit. Oratio denique in his, de quibus loquimur libris, quam in ceteris, multo est elegantior ac politior, ut vix quidquam limatius atque ornatius dici aut cogitari possit; certe politior est, quam in orationibus, in quibus ineruditae coronae aliquid tribuendum erat. In his vero, quos in elegantiorum hominum usum, scripsit, elegantiore dicendi genere uti poterat, neque vereri debebat, ne operam perdidisset. Itaque, si scriptores, qui aurea illa, quam vocant, literarum aetate floruerunt, maximi facimus; si sermonis elegantia tenemur; si dulcedine et venustate orationis oblectamur: id inprimis laudi vertendum est Ciceroni, qui Latinam linguam, quam inchoatam acceperat, perfectissimam reliquit. Utinam ne aurea illa aetas tam cito interiisset, neve temporum calamitas cum moribus etiam hominum ingenia et libellos in pejus mutavisset!

Sed quum singula Ciceronis merita satis nobis jam exposuisse videamur, restat, ut ea, quae adhuc singulatim et quasi frustatim diximus, in unum tamquam locum colligamus, quo melius, quantum Romani ceperint e Ciceronis philosophicis libris utilitatis, perspiciamus. Hoc loco omnes fere, opinor, primum interrogabunt, num multi fuerint, qui, ejus vestigia ingressi, Latinis literis philosophiam illustrarent. Sed Cicero, quamquam in prima Tusculana disputatione (c. 2, 5.) cives suos adhortatur ad philosophiam Latinis literis illustrandam, multosque libris suis dicit ad scribendi studium esse excitatos — qui stili exercendi potius, quam civium erudiendorum causa, ad scribendum se dedisse videntur —: tamen eum, id quod se perfecturum esse ne sperare quidem poterat, ut multos exemplo suo ad scribendum adduceret, imprimis sibi proposuisse non arbitror. Nam homines Romani non ii erant, qui toti se literarum bonarumque artium studiis darent. Temporis nonnihil iis concedere solebant viri nobiles, ut ex

iis aut honestam aliquam voluptatem caperent, aut reipublicae administrandae subsidia peterent. Honestum tantum habebatur, aut ipsum res gerere, aut ab aliis gestas scribere. Quin multi Graecarum literarum scientiam et philosophiae studium dissimulare tentabant, quia populum id viro principe indignum judicare sciebant. Itaque adolescentes, qui ad majora adspirabant, neque animi causa in literis occupati in umbra otioque delitescere volebant, jactis doctrinae fundamentis togaque virili sumta, ad principem aliquem virum se contulerunt, quo duce, quum nunquam ab ejus latere discederent, domi rerum civilium prudentiam adipiscerentur, in bello prima stipendia facerent. Post alii rebus in bello fortiter gerendis, alii causis orandis ad summos sibi honores viam munire studebant. Praeterea multi et magni cives juris prudentiae operam dederunt, ut post honorum decursum cousulentibus responderent. Si igitur Romani, tot tantisque occupationibus tota vita distracti ac distenti, plerumque philosophiae vacare aut in libris scribendis tempus consumere noluerunt, quum praesertim Graeculos, qui his rebus dediti essent, vehementer despicerent, neque a Cicerone, ut ejus exemplum imitarentur, excitati sunt, mirum id videri potest nemini.

Nihilo tamen minus maxima fuerunt Ciceronis merita. Nam, quod sibi praecipue proposuerat, id re vera perfecit, ut cives suos redderet et sapientiores et meliores, iisque ad consequenda ea, quae viris vere Romanis maxime optabilia viderentur, optima instrumenta praeberet. Multi enim, ut ipse ait in secundo de divinatione (c. 2.), non adolescentes solum, sed aetate etiam provecti hos de philosophia libros maxima legerunt cupiditate. Num hanc occupationem putamus non fuisse fructuosam plurimis? Plurimi sane ingenium acuerunt, veram sapientiam adamaverunt, vera a falsis dijudicare didicerunt, ad honestas res expetendas, ad turpes et inhonestas fugiendas incitati, ad dolores fortiter perferendos sunt confirmati. Sine dubio nonnemo etiam, qui, quum Ciceronem legeret, philosophiam adamaverat, in iis, quae ab eo didicerat, non acquievit; sed ad ipsos se convertit Graecos fontes, quo pleniorem sibi harum rerum scientiam conciliaret. Profecto igitur populus Romanus, si, Cicerone mortuo, laude literarum et morum elegantia floruit, maximam partem Ciceroni id debuit immortalibusque ejus meritis. Ceterum Cicero — neque enim id parvi faciendum esse duco — civibus suis amplissimam sermonum materiam praebuit. Priusquam enim philosophiam Latine explicasset, de optimis rebus aut plane tacendum aut Graece disserendum erat. Jam, qui sciunt, quantam vim in omnes vitae partes habeant amicorum congressus, Tullium hac quoque re de civibus suis bene meruisse facile concedent. Ergo Ciceronis merito Romae constat literas et liberales artes prospere effloruisse, omnem denique humanitatem felicia cepisse

incrementa, ex quibus liceret fructus exspectare et plurimos et dulcissimos. Quos si populus Romanus percepit non omnes, aut non diu iis gavisus est: non Cicero in culpa est; sed temporum illorum calamitas. Nam quum Cicero in his libris edendis adhuc occupatus esset, cruentissima bella civilia denuo exarserunt, totumque terrarum orbem civium Romanorum sanguine inundarunt. Quamquam, ubi Augustus, debellatis imperii aemulis, rerum potitus est; pax et aliqua respublica restituta est; genus humanum, tot calamitatibus exantlatis, in otio requievit. Janoque iterum clauso tempora, quae unquam populus Romanus viderat, consecuta sunt felicissima: in tanta tamen felicitate tantaque literarum optimarumque artium flore semina, quae summus ille vir sparserat, non plurimos fructus tulerunt: nam diu jam immensae divitiae, quae Romam quotidie confluebant, civium mores corruperant: qua nulla praeclarissimarum rerum pestis dici potest capitalior. De temporibus vero, quae deinde secuta sunt, melius tacemus. Verumtamen, Ciceronem maxima in cives suos contulisse beneficia, negare non possumus; sed si non plane voluntati ejus responderunt; cogitemus, nostrum esse, optima quaeque suscipere, et omni, qua fieri possit, virium contentione in iis elaborare; prosperum vero suscepti laboris eventum pendere e Dei optimi maximi numine.

Sed antequam disputandi finem facimus, ne quid praetermissum videatur, Ciceronem in aliis quoque rebus, ut jam illos libros, de quibus nobis adhuc quaestio fuit, mittamus, philosophia ad bene de civibus promerendum adjutum esse ostendamus, necesse est. Numquam enim magnus hic vir, quem nemo Romanorum, ne dicam omnium, qui fuerint, oratorum fuisse principem inficiatur, tantopere eloquentia omnibus praestitisset, nisi ad hanc omnium laudandarum artium parentem tanta se diligentia applicuisset. Nam quum tres sint res, quae ad eloquentiam perficiendam requiruntur, ingenium, exercitatio, dicendi ratio, quae bene dicendi praeceptis continetur, nulla harum rerum sine philosophiae adjumento per se multum proficiet. Fac, esse aliquem pulcherrimo ingenio. Quid volebit sine philosophiae studio? Eximium illud ingenium, nisi diligenter subactum est et multiplici doctrina excultum, rudis atque impolita quasi gemma est, quae, quamvis per se pretiosissima, splendore tamen suo et fulgore caret, et ab imperitis temere abjicitur. Tota autem dicendi ratio a philosophis petenda est, vel potius ipsa, ut supra demonstravimus, philosophiae pars est, quam vocant dialecticam, cujus scientia orator, nisi pro inani verborum opifice haberi velit, carere non potest. Dicendi autem exercitationes possunt illae quidem esse sine auxilio philosophiae; sed nulla re magis, quam philosophorum disputationibus, dicendi facultatem augeri arbitror.

Nec vero haec sola orator debet philosophiae, sed omnia argumenta, quibus judicibus causam reddat probabiliorem, omnes rationes, quibus persuadeat populo, quae e republica esse censeet, omnem denique dicendi materiam solae ei suppeditare possunt ejus copiae. Omnes orationes, quas Romani habere solebant, fuerunt illae quidem de re certis in personis ac temporibus locata; sed ei subesse infinitae alicujus rei quaestionem, sine designatione temporum et personarum, si penitius hoc consideraveris, facile intelliges. Nam quum Cicero Milonis causam ageret, quaestio non fuit de re facta, num Milo Clodium re vera occidisset; sed num homini privato nefarium ac perniciosum civem impune necare liceret. Quod rationibus tantum e philosophia petitis dijudicari potuit. Oratores igitur gravissimos hujus artis locos tractaverunt, neque ulla fere pars fuit, ad quam interdum non recurrerent. Imprimis autem, quoniam nulla erat causa, quae non haberet dubitationem, quid honestum esset, quid turpe, quid justum, quid injustum, vel de republica, de gloria, de virtutibus ac vitiis disserendi imponeret necessitatem, in tertia illa parte, quae est de vita et moribus, subsidia quaesiverunt. Sed Cicero ipse in primo libro de oratore (c. 5, 16 — 6, 21.), quid a perfecto oratore requireretur, exposuit. Quem locum qui legerit, certe persuasum habebit, neminem, nisi ad sapientiae studium diu et sedulo incubuerit, ad aliquam eloquentiae laudem pervenire posse. Quae quum ita sint, num miramur, unde factum sit, ut Cicero oratores, qui ante eum fuerint, et qui eum secuti sint, superaret omnes, neque Graecorum cuiquam, ne principe quidem eorum excepto, Demosthene, posthaberetur? In promptu est, quod respondeamus. Quem quum natura excellenti ingenio donasset, ipseque exercitationis laborem non fugeret: ad haec adjunxit philosophiae studium diligentissimum, quo limpidissimum fontem reperiit, ex quo perpetuo, quod sibi opus esset, hauriret. Quo magis mihi eorum videtur vituperandus error, qui ab oratore nihil nisi inanem verborum volubilitatem requiri putant. Hi enim sat boni sibi videntur oratores, si teneras mulierculas aut viros mulierum similes capiant, aut largas ex iis lacrimas eliciant. Itaque, sat magna exquisitarum locutionum copia parata, sesquipedalibus verbis et non pedestri illo oratorum, sed poetico sermone utuntur, floresque e poetarum hortis decerptos non parce dispergunt. Ita fit, ut declamationes, non orationes habeant, et tragicorum potius, quam oratorem more, eorum, qui audiunt, animos commoveant. Omnino multis fucum facere possunt, et facile, id quod imprimis sibi contingere cupiunt, efficiunt, ut ab imperita multitudine (quae obscurissima quaeque maxime mirari solet) summis laudibus extollantur. Sed ne tenuis quidem haec gloria diuturna est, nam talis eloquentiae copiae facile exhauriuntur. Hoc dico, non quo quemquam vituperem, sed ut adolescentes, in quorum manus hae plagulae venerint, mo-

neam, ne verae eloquentiae viam minus arduam minusque difficultatibus impeditam esse opinentur. Omnes enim ad hanc sententiam proclives sunt adolescentum animi. Id sibi velim persuadeant, neminem unquam laudabilem fuisse oratorem, nisi qui ad ea, quae sola natura dare potest, non modo diligentem exercitationem, verum etiam omnium et divinarum et humanarum rerum adjunxerit scientiam, ut ex amplissimo animi thesauro tum vetera tum nova promere posset.

Quam ob rem, quum Cicero, ut jam ad propositum redeamus, nunquam, nisi tanta philosophiae cognitione fuisset imbutus, ad summam eloquentiae laudem pervenisset: quaecunque beneficia in populum Romanum contulit orator philosopho acceptare ferri oportet! Si igitur multorum civium capita defendit; si Verris accusatione eos, qui provincias administrabant, deterruit, ne populi Romani socios inhumaniter tractarent; si Catilinae nefarios conatus repressit patriamque servavit; si leges, quas alii tulerant, salutares populo suasit, perniciosas dissuasit, maximo patriae commodo; si denique senatum saepe eloquentia in sententiam suam traxit, quae nunquam non optima fuit: philosophia sibi prope non minorem, quam eloquentia, horum meritorum partem vindicat. Quodsi multi postea oratores, Ciceronis exemplum secuti, bene de civibus merendo magnam laudem consecuti sunt: nonne ipse hujus laudis quodam modo debet esse particeps? Quid quod Cicero publicus philosophiae quasi magister fuit? Ejus enim merito factum est, ut omnes cives ad aliquam rerum utilissimarum cognitionem pervenirent. Nam quum Romae magna civium multitudo — publicae enim scholae deerant — literarum aut doctrinae ne rudimentis quidem animos excoluisset, neque in tanta librorum caritate ac penuria, quae in pueris neglecta essent, lectione compensare posset: orationes solae, quae a summis et doctissimis viris in foro habebantur, optimarum rerum scientiam, si non magnam, at utilem, divulgarunt. Itaque, si nobiscum reputamus, quot, quantasque res, quas nemini, nisi magno suo damno, ignorare licet, in orationibus suis exposuerit; quoties de temporum suorum perversis moribus, de luxuria, de avaritia sit questus, imminentemque patriae ruinam civibus suis ob oculos posuerit: multorum eum non modo animos rerum optimarum scientia auxisse, sed mores etiam emendasse, fateamur oportebit. Nam non semper, arbitror, Cicero apud surdos homines dixit. An, fieri potuit, ut, Cicerone orante, non omnes toti ab ejus ore penderent?

Jam Ciceronis philosophi in cives suos merita satis nos exposuisse arbitramur. Finem igitur scribendi faciemus, quum ad summi hujus viri laudem quandam quasi accessionem adjunxerimus. Scripsit nimirum hos libros, qui sunt de philosophia, maximam partem duorum ferme annorum spatio, sexaginta fere annos natus, quum, Caesare rerum potito, invitus esset a republica remotus. Quamdiu enim licuerat, in republica administranda et causis agendis occupatus fuerat, ut sibi ne respirandi quidem

tempus concederet. Sed vir patriae amantissimus, quum invitus ad otium cogeretur, ne ullum tempus praetermitteret, quo civibus non prodesset — quamvis ne tum quidem amicorum periculis deesset —, jam ad eam aetatem provectus, qua aliis honestum otium concedi solebat, ad scribendum se dedit, quo, dum dolorem suum consolaretur, patriae, quoad ejus fieri posset, et civibus suis prodesset. Sed, ne quis miretur, eum tam brevi tempore tot tamque politos libros potuisse scribere, a prima pueritia literis operam navaverat, totam adolescentiam ad philosophiam incubuerat, quotiescunque aliquid temporis subsecivi fuerat, aut sapientissimorum virorum libros legerat, aut cum doctissimis hominibus sermones contulerat. Qua in re utinam omnes adolescentes literarum optimarumque artium studio dediti Ciceronis exemplum imitentur! Utinam ne, quod multi facere decreverunt, ad eas tantum incumbant artes, quibus se ad munus suum faciendum carere non posse putent, neve, ut victum sibi aliquando parent, tempus in studiis terant! Hi enim, etsi occupati sunt in artibus liberalibus, illiberaliter tamen et sordide tamquam opificio dediti in iis versantur. Quem fructum ex his studiis se percepturos sperant? An bene se de patria merituros esse confidunt? Quare omnes velim secum reputent, quantum opus suscipiant, qui vitam studiis addicant. Nam qui nullas molestias timent, nullum laborem fugiunt, nullis voluptatum illecebris alliciuntur, hi soli et patriae et sibi consulunt. Hi soli, muneris sui molestiis fessi, in literis invenient, quo animum honeste recreent, unde recentibus se viribus ad officia praestanda conferent. His solis, quum, corporis viribus senectute exhaustis, publico munere se abdicarint, continget, ut aetatem neque inertem neque inutilem degant, optimeque etiam senes de patria mereantur. Mihi quidem Cicero semper perfectissimum erit exemplar, quod adolescentibus literarum studiosis, ut ad imitandum sibi proponant, non satis potest commendari. Neque quidquam mihi unquam sene, qui, republica bene administrata, junioribus potest prodesse consilio vel disciplina, videbitur aut praestabilius aut admirabilius.

Schulnachrichten,

von Ostern 1831 bis Ostern 1832.

Indem sich unsere Anstalt mehr und mehr den Ruf der Sittlichkeit und des Fleißes sichert, wird auch auf alle Weise dafür gesorgt, den zeitgemäßen Bedürfnissen derselben zu genügen. Zu diesen zählen wir einen geregelten und mit den übrigen Lehrgegenständen in die Reihe der öffentlichen Vorträge tretenden Unterricht im Französischen. Seit Michael v. J. ist er mit dem besten Erfolge schon ertheilt worden, indem die Schüler für ihn sehr lebendige Theilnahme gezeigt haben, und in Zukunft wird er auch auf dieselbe Weise, wie bisher, in den fünf obern Classen fortdauern.

A) Allgemeine Lehrverfassung.

Durch die unten in der Chronik angegebenen, längeren Krankheiten, sind Veränderungen in dem Stundenplane veranlaßt worden, welche durch mehre Namen, die sich bei einem Lehrgegenstande finden, angedeutet werden.

Prima.

(Ordinarius: Prediger und Prorektor Guiard.)

1) Deutsche Sprache und Philosophie 3 St. Aufsätze und freies Sprechen 1 St. Geschichte der deutschen Literatur i. S., Poetik i. W. 1 St. Allgemeine, vergleichende Sprachwissenschaft i. S. Anthropologie (erste Hälfte, nach Arnold's Grundriß der Seelenlehre) i. W. 1 St., mit II. verbunden. Arnold.
2) Lateinisch 8 St. Horat. Satir. lib. I. größtentheils i. S. Haupt. Od. III. 6. bis um die Mitte von IV. i. W. 2 St. Arnold. Ciceron. de finib. lib. I. II. 2 St. Tacit. Annal. lib. IV. — VI. XI. bis c. 16. 2 St. Freie Aufsätze, Exercitien, Extemporalien und Sprechen 2 St. Guiard.
3) Griechisch 6 St. Platon. Menexen. und Laches bis §. 11. Ed. Engelhard i. S. Pfefferkorn. Menon bis fast zu Ende i. W. 2 St. Arnold. Homer. Ilias V — IX. und Euripides Heracl. i. S. Sophoc. Antig. i. W. zusammen 3 St. Buttmann Grammatik. Syntax nebst Extemporal. und Exercit. 1 St. Haupt.
4) Hebräisch 2 St. Gesenius Lesebuch. S. 60 — 76. S. 87 — 92. S. 101 — 117. 1 St. Exercitien und Grammatik (die Lehre vom Nomen und die unregelmäßigen Verba) 1 St. Guiard.

5) Französisch mit II. verbunden 2 St. Ideler und Nolte's Handbuch: tableau de l'Europe von Friedrich II. 1 St. i. W. und Schreiben 1 St. Pfefferkorn.
6) Religion 2 St. mit II. verbunden. Kirchengeschichte, erster Theil i. W. Guiard.
7) Mathematik 4 St. Beschreibende Geometrie i. S. Arnold. Heiligendörfer. Wiederholung der ebenen Trigonometrie. Anwendung derselben auf allgemeine Berechnung von Figuren. Transformation der Coordinatensysteme. Trisection des Winkels. Construction der Curven aus den allgemeinen Gleichungen vom 2ten Grade, mit zwei unbekannten Größen i. W. Heiligendörfer.
8) Physik 2 St. mit II. verbunden, nach Kries: vom Wasser, von den Luftarten, vom Lichte zum Theil i. S. Arnold. Heiligendörfer. Das Uebrige von der Lehre vom Licht und die Abschnitte von der Wärme und Electricität i. W. Heiligendörfer.
9) Geschichte 3 St. Das Mittelalter i. S. Deutsche Geschichte i. W. Pfefferkorn.

Secunda.

(Ordinarius: Oberlehrer Dr. Pfefferkorn.)

1) Deutsche Sprache 2 St. Aufsätze 1 St. i. S., Pfefferkorn, i. W. Arnold. Freies Sprechen, Declamiren, Lesen und Erklären 1 St. i. S. Guiard, i. W. dazu die Metrik, Arnold. Philosophie s. I.
2) Lateinisch 8 St. Virgil. Aen lib. II (von Vers 315. an) III. IV. bis 100. 2 St. Cicero. pro Sext. Rosc. Amer. von c. 30. bis zu Ende 2 St. Guiard. Livius II. 40. bis IV. 2 St. Zumpt Grammatik nebst Extemporal. und Exercit. 2 St. Haupt.
3) Griechisch 6 St. Xenophon. Memorabil. 2 St. Einleitung lib. III. c. 3. — lib. IV. c. 5. Homer. Odyss. 2 St. Einleitung lib. I — III. Grammatik und Exercitia 2 St. Pfefferkorn.
4) Hebräisch 2 St. Leseübungen; Grammatik von Gesenius (Elemente, das regelmäßige und die meisten unregelmäßigen Verba.) Genesis c. 39 — 42. Guiard.
5) Französisch s. I.
6) Religion s. I.
7) Mathematik 4 St. Ebene Trigonometrie und Gleichungen bis zum 2ten Grade incl. i. S. Arnold. Stereometrie und Gleichungen 1sten und 2ten Grades i. W. Heiligendörfer.
8) Physik s. I.
9) Geschichte 3 St., i. S. Griechische Geschichte, i. W. Römische. Pfefferkorn.

Tertia.

(Ordinarius: Oberlehrer und erster Collaborator Dr. Haupt.)

1) Deutsche Sprache 3 St. Aufsätze 1 St. Grammatik 1 St. Lesen, Erklären, Nacherzählen, Declamiren 1 St. Dibelius.
2) Lateinisch 8 St. Ovid. Metamorph. L. VIII — IX. mit Auswahl: Preuß i. S. lib. IX — X. i. W. Dibelius 2 St. Cäsar. de bell. civil. Lib. I. i. S. Preuß, i. W. Dibelius 2 St. Justin. V — VI. 2 St. Zumpts Grammatik nebst Extemporalien und Exercitien 2 St. Haupt.
3) Griechisch 6 St. Lucian Göttergespräche, 3 St. Grammatik und Schreiben 3 St. Haupt.

4) Französisch 2 St. Lectüre: Heckers Lesebuch 1r Th. 1 St. Francesons Grammatik, Schreiben, 1 St. Pfefferkorn.
5) Religion 2 St. Die Christliche Glaubenslehre. Guiard.
6) Mathematik 4 St. Geometrie: Von der Aehnlichkeit. Arithmetik: Wiederholung des frühern und Anfang der Gleichungen ersten Grades, i. S. Arnold. — Geometrie: Wiederholung des Abschnittes von der Aehnlichkeit der Figuren. Ausmessung der Figuren. Arithmetik: Potenzenrechnung. Ausziehung der Quadrat- und Cubicwurzeln aus Zahlen und Buchstabenausdrücken i. W. Heiligendörfer.
7) Physik 2 St. Die besondere und die angewandte Naturlehre. Arnold.
8) Geschichte 3 St. Die ganze Weltgeschichte. (Mit Benutzung von Pfefferkorns allgemeiner und Brandenb. Preuß. Geschichte). Pfefferkorn.
9) Zeichnen mit IV. verbunden.

Quarta.

(Ordinarius: Oberlehrer Dr. Heiligendörfer.)

1) Deutsche Sprache 4 St. Aufsätze u. Grammatik, nach Heinsius 2 St. i. S. Müller, i. W. Bieck. Lesen, Nacherzählen, Declamiren, Extemporalien 2 St. i. S. Preuß, i. W. Arnold.
2) Lateinisch 8 St. Cornel. Nepos. 2 St. i. S. Preuß, i. W. Guiard. Ovid. Metamorph. ausgewählte Abschnitte aus lib. II. III. nebst Prosodie 2 St. i. S. Dibelius, i. W. Müller. Formenlehre nach Schulz kl. Grammatik. Extempor., Exercit. nach Dörings Anleitung zum Uebersetzen 4 St. i. S. Preuß, Müller, i. W. Müller.
3) Griechisch 4 St. Uebers. a. d. griech. Lesebuch von Jakobs I. Cursus 2 St. Grammatik 2 St. i. S. Preuß, i. W. Haupt und Dibelius.
4) Französisch 2 St. Lesen, Uebersetzen (Heckers Lesebuch), Grammatik. Arnold.
5) Religion 2 St. Krummachers Bibelkatechismus. Dibelius.
6) Mathematik 4 St. Die ebene Geometrie bis zu den Polygonen, Arithmetik bis zu den Potenzen und Wurzeln i. S. Bieck, i. W. Heiligendörfer.
7) Geographie und Geschichte 3 St. Mathemat. und physische Geographie. Uebersicht von Europa. Deutschland i. S. Die Europäischen Länder außer Deutschland i. W. Pfefferkorn.
8) Technische Fertigkeiten: a) Schreiben 1 St. Grünewald. b) Zeichnen 2 St. nach Vorlegeblättern, Blumen, Fruchtstücke, Köpfe, Landschaften u. s. w. Bieck.

Quinta.

(Ordinarius: Subrector Grünewald.)

1) Deutsche Sprache 4 St. Grammatik nach Hartung nebst Aufsätzen 2 St. i. S. Preuß, i. W. Grünewald. Orthographische Uebungen, Lesen, Declamiren, Sprechen, 2 St. i. S. Grünewald, i. W. Müller.
2) Lateinisch 6 St. Formenlehre nach Schulz kl. Grammatik 2 St. Uebersetzung kleiner Erzählungen aus Bröders Grammatik und aus dem Deutschen nach Brohms Beispielsammlung der wichtigsten syntakt. Regeln 4 St. Dibelius.

3) Französisch 2 St. Grammatik (nach Arnolds Anfangsgründen der franz. Sprachlehre), Lesen, Uebersetzen (aus Heckers Lesebuch). Arnold.
4) Religion 2 St. verbunden mit VI. — i. S. Luthers Katechismus von Küster, die zehn Gebote. Müller. i. W. Bibli. Erzählungen nach Küster i. W. Dibelius.
5) Rechnen 6 St. Lehre von den Brüchen: gemeine, Decimal-Ketten-Brüche. Flächen- und Körperberechnung. Bieck.
6) Geschichte 2 St. Die allgemeine Geschichte nach Bredow's Hauptbegebenheiten. Müller.
7) Geographie 2 St. Erweiterter Cursus aus VI. Preuß. Grünewald. Heiligendörfer.
8) Naturbeschreibung 2 St. (nach Schubarts Lehrbuch). Grünewald.
9) Technische Fertigkeiten: a) Schreiben 2 St., in den Stunden Anweisungen und Durchsicht der häuslichen Uebungen. Grünewald. Bieck. b) Zeichnen 2 St. Fortsetzung der in VI. begonnenen Uebungen. Anleitung zur Perspective, Zeichnen nach der Natur. Bieck.

S e x t a.

(Ordinarius: Cantor Bieck.)

1) Deutsche Sprache 6 St. Formenlehre nach Hartungs kl. Sprachlehre, lesen, orthographische Uebungen. Grünewald.
2) Lateinisch 6 S. Leseübungen 2 St. Formenlehre nach Schulz kl. Grammatik, nebst schriftl. Uebungen im Decliniren und Conjugiren 3 St. Uebersetzen aus Bröder und Bildung kleiner Sätze aus dem Deutschen ins Lateinische, 2 St. Grünewald.
3) Religion s. V.
4) Rechnen 5 St. Zahlenlesen und Zahlenschreiben. Die vier Rechnungsarten, benannt und unbenannt, mit ganzen Zahlen und mit gemeinen Brüchen. Verhältnisse und Proportionen. Regeldetri 4 St. Kopfrechnen 1 St. Bieck.
5) Geographie. Ueberblick der ganzen Erde, i. S. Preuß, i. W. Müller.
6) Technische Fertigkeiten: a) Schreiben 2 St. Anleitung in den Stunden und häusliche Uebung. Bieck. Grünewald. b) Zeichnen 2 St. Linearzeichnen nach Ramsauer. Bieck.

Der Gesang-Unterricht, bei dem Cantor Bieck, ist in zwei Abtheilungen gesondert, wovon die eine die vier obern, und die zweite die beiden untern Classen umfaßt.

Als Hülfsmittel für den Privatfleiß können die beiden obern Classen, außer den Büchern der Schülerbibliothek, — die auch einige Werke in den alten Sprachen enthält, — die Lehrerbibliothek benutzen. Die Schülerbibliothek steht aber allen Schülern der vier obern Classen, so wie den fleißigeren der fünften offen. Wer Theil nehmen will, hat 15 Sgr. halbjährlich zu entrichten. Die Bücheraustheilung geschieht Mittwochs und Sonnabends um 2 Uhr; an jenem Tage erhalten die drei ersten Classen, an diesem die zwei folgenden ein Buch auf die Woche.

B) Verfügungen der hohen Behörden,
von Ostern 1831 bis 1832.

1) Verfügung Eines Hohen Ministeriums der geistlichen, Unterrichts- und Medicinal-Angelegenheiten v. 15ten Januar 1831 in Hinsicht des Hebräischen, zufolge welcher den Theologie-Studirenden das gesetzlich vorgeschriebene academische Triennium erst von dem Zeitpuncte ab gerechnet werden soll, wo sie das Zeugniß der Reife in dieser Sprache beigebracht haben.

2) Verfügung derselben Hohen Behörde vom 14. März 1831, betreffend den Zeichenunterricht, dessen Förderung, ein Lehrplan für denselben, und eine Instruction für die Prüfung der Zeichenlehrer.

3) Circulare Eines Hochverordneten Schulcollegiums vom 20sten April 1831. Nähere Bestimmung wegen der Abfassung der Zeugnisse für diejenigen Gymnasiasten, welche sich zum einjährigen Militairdienst melden wollen.

4) Indem Ein Hochverordnetes Schulcollegium, im Auftrage des Königl. Ministeriums der geistlichen, Unterrichts- und Medicinal-Angelegenheiten vom 11ten Mai 1831, auf die Schrift des Professors Heinsius: „die Bildung der deutschen Beredsamkeit, in Briefen an einen Staatsmann," aufmerksam macht, wird Bericht gefordert über die Fortschritte in den Uebungen des mündlichen und schriftlichen Ausdruckes in der Muttersprache, und in Erinnerung gebracht die Circular-Verfügung vom 21sten August 1829, zufolge welcher auf die deutschen Aufsätze bei der Beurtheilung der Abiturienten, hinsichts ihrer Reife zu den Universitätsstudien, ein größeres Gewicht gelegt werden soll.

5) Circulare Eines Hochverordneten Schulcollegiums vom 13. Mai 1831, durch welches die Vorsteher der höhern Lehranstalten aufgefordert werden, ihre Ansichten über etwanige zeitgemäße Veränderungen in dem Allerhöchsten Prüfungs-Edicte vom 12ten October 1812, auszusprechen.

6) Circular Eines Hochverordneten Schulcollegiums vom 30sten Januar 1832, welches auffordert, diejenigen Schüler, welche durch Anlage, Neigung und Vorkenntnisse eine vorzügliche Bestimmung zum Studium der Naturwissenschaften zu haben scheinen, bei ihrem Abgange von der Schule, auf das naturwissenschaftliche Seminar in Bonn aufmerksam zu machen und ihnen die Theilnahme an demselben besonders anzuempfehlen.

C) Chronik des Gymnasiums.

1) Den 27sten Juni 1831 hat der Herr Generalsuperintendent, Propst Roß, das Gymnasium besucht.

2) Durch längere Krankheit ist der Unterricht mehrer Lehrer unterbrochen worden: den größten Theil des Sommers der des Oberlehrers Heiligendörfer; mehre Wochen im Sommer der des Cantors Bieck; und das ganze Winterhalbjahr hindurch der des Collaborator Preuß. Wenige Stunden nur sind der Director, der Oberlehrer Dr. Pfefferkorn, der Subrector Grünewald, der Oberlehrer Dr. Haupt und der Candidat Müller, zu geben behindert gewesen.

3) Der Schulamtscandidat Dibelius hat, nach beendigtem Probejahre, noch ferner der Anstalt seine Kräfte gewidmet, und dadurch, zumal bei den langen Krankheiten, ihr sehr wesentliche Dienste geleistet.

4) Der Schulamtscandidat Müller hat sein Probejahr, von Ostern 1831 bis dahin 1832, bei unserem Gymnasium abgehalten.

5) Als Geschenke Eines Hohen Ministeriums hat unsere Anstalt erhalten:
   a) Falbe, Geschichte des Gymnasiums zu Stargard.
   b) Fischer, über Gesang und Gesang-Unterricht.
   c) Zwei Exemplare vom Schmiederschen Schul-Atlas.
   d) Das 7te und 8te Heft von Klein's religiösen Gesängen.

6) Auch ist der Bibliothek des Gymnasiums, von dem Herrn Dr. Zober, in Stralsund, geschenkt worden:
   a) Sell, über den stärksten Heringsfang an Pommerns und Rügens Küste, aus dem Lat. übersetzt von Dr. E. H. Zober.
   b) Des Zacharias Orthus Lobgedicht auf Stralsund. Einleitung, lateinische Urschrift, Uebersetzung, Anmerkungen und Anhang, von Dr. E. H. Zober. Stralsund 1831.

7) Von dem Herrn Professor Dr. Fr. Schultze in Liegnitz:
   Die Abiturienten-Prüfung, vornehmlich im Pr. Staate. A. Urkundensammlung. 4 Bog.

8) Von dem Herrn Buchhändler Trautwein:
   D. E. A. Schmidt, Grundriß der neuen Geschichte für Gymnasien u. s. w. 1832.

D) Statistische Uebersicht.

Im Sommerhalbjahre 1831 zählte unsere Anstalt 152 Schüler, nämlich in I. 12, in II. 20, in III. 31, in IV. 29, in V. 33, in VI. 27. — Im Winterhalbjahre 1831—32, im Ganzen 158, und zwar in I. 12, in II. 23, in III. 25, in IV. 32, in V. 39, in VI. 27. — Im Laufe des Jahres 1831, sind 35 Schüler aufgenommen worden; 16 zu Ostern und 19 zu Michael.

Zu Michael 1831 wurden zur Universität entlassen:

1) Friedrich Wilhelm Ludwig Michaelis, evangelischer Confession, aus Züllichau, 19 Jahre alt, auf dem Gymnasium 10 Jahre, 2 Jahre in Prima, studirt Theologie in Berlin. Er erhielt das Zeugniß No. I.
2) Carl Eduard Adolph Labes, evangelischer Confession, aus Königsberg i. d. N., 22 Jahre alt, 10 Jahre auf dem Gymnasium, 2 Jahre in Prima, studirt Naturwissenschaften in Berlin. Er erhielt das Zeugniß No. II.
3) Theodor Eduard Buckow, aus Bahn, evangelischer Confession, 20 Jahre alt, 6½ Jahr auf dem Gymnasium, 2 Jahre in Prima, studirt Theologie in Bonn. Er erhielt das Zeugniß No. II.

Zu Ostern d. J. gehen ab zur Universität:

1) Heinrich Julius Woytcke, evangelischer Confession, aus Königsberg i. d. N., 19¾ Jahr alt, 10 Jahre auf dem Gymnasium, 3 Jahre in Prima, will in Berlin Theologie und Philologie studiren. Er erhielt das Zeugniß No. I. Er hat sich im Hebräischen auch besonders ausgezeichnet.
2) Christian Friedrich Meyer, evangelischer Confession, aus Pätzig bei Schönfließ, 19 Jahre alt, 6 Jahre auf dem Gymnasium, 1½ Jahr in Prima. Er will in Berlin Theologie und Philologie studiren. Er erhielt das Zeugniß No. II.

E) Oeffentliche Prüfung.

Die öffentliche Prüfung, am Freitag, den 13ten April d. J., deren Bedeutung und Wirksamkeit die Eltern und Angehörigen der Zöglinge, so wie die Freunde der Jugendbildung überhaupt, durch ihre Gegenwart erhöhen wollen, wird in folgender Ordnung abgehalten werden:

Gesang.

Von 8 — 9 Uhr. Quarta:
Latein. Candidat Müller.
Französisch. Arnold.

Von 9 — 10 Uhr. Tertia:
Griechisch. Oberlehrer und erster Collaborator Dr. Haupt.
Mathematik. Oberlehrer Dr. Heiligendörfer.

Von 10 — 11 Uhr. Secunda:
Lateinisch. Oberlehrer und erster Collaborator Dr. Haupt.
Griechisch. Oberlehrer Dr. Pfefferkorn.
Physik mit I. verbunden. Oberlehrer Dr. Heiligendörfer.

Von 11 — 12 Uhr. Prima:
Neue Geschichte. Oberlehrer Dr. Pfefferkorn.
Lateinisch. Prediger und Prorektor Guiard.
Poetik. Arnold.

Gesang.

Von 2 — $3\frac{1}{2}$ Uhr. Quinta:
Lateinisch. Candidat Dibelius.
Geschichte. Candidat Müller.

Sexta:
Lateinisch. Subrektor Grünewald.
Rechnen. Cantor und zweiter Collaborator Bieck.

Hierauf folgen die Reden der Abgehenden, und die Erwiederungs-Rede, im Namen der Zurückbleibenden.

Gesang.

Die Entlassungs-Rede des Direktors.

Gesang.

Montag, den 30sten April, fängt der Unterricht wieder an. Die Prüfung der Zöglinge, welche der Anstalt anvertraut werden sollen, kann, wenn es erforderlich ist, zu jeder Zeit geschehen; am erwünschtesten wären aber die letzten Tage der Ferien.

Arnold.